IVRA MERCATORVM
IN EXIGENDIS
VSVRIS EX MORA
IN
SOLVENDO MERCIVM PRETIO
FACTA.

CONSENSV

ILLVSTR. ICT. COLLEGII

D. XXI. OCTOBR. CIƆ IƆCC LI

DISPVTANT

D. CHRIST. GOTTHELF GVTSCHMID

ET

CHRIST. GODOFR. SIGISM. RICHTER

AVCTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

A

SON EXCELLENCE

MONSEIGNEUR

LE COMTE DE BRUHL

BARON DE-FORST ET PFOERTHEN

SEIGNEUR DE GROCHWIZ, GANGLOSSÖMMERN, NISCHWITZ, LICHTENAU, LINDENAU, SEYFERSDORFF,

COMTE DU SAINT EMPIRE,

PREMIER-MINISTRE,

MINISTRE DU CABINET, ET DE CONFERENCES, CONSEILLER PRIVE' ACTUEL, GENERAL DE L'INFANTERIE, GRAND-MAITRE DE LA GARDE ROBBE, PRESIDENT DE LA CHAMBRE DES FINANCES ET DE MINES, PREMIER-DIRECTEUR DES TAILLES, ET DES ACCISES GENERALES, DE S. M. LE ROI DE POL. ET EL. DE SAX.

PREVOT DU CHAPITRE DE BUDISSIN,

CHEVALIER DES ORDRES DE L'AIGLE BLANC, DE ST. ANDRE' DE RUSSIE ET DE L'AIGLE NOIR ETC.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

MONSEIGNEUR,

J'oſe prendre la liberté de preſenter à VOTRE EXCELLENCE les premices de mes etudes. Je le fais avec d'autant plus d'aſſurance que je ſais, MONSEIGNEUR, que VOTRE EXCELLENCE ne dédaigne pas de jetter les yeux favorablement ſur ceux qui cherchent à ſe rendre capables de ſervir le ROI.

VOTRE illuſtre maiſon, MONSEIGNEUR, a toujours protegé ma famille. Combien de graces le genereux

reux

Google

reux Pere de VOTRE EXCELLENCE n' a-t-il pas repandu ſur le mien qui etoit baillif de Dahme. Je viens de le perdre à la fin de ma carriere academique, mais VOUS etes le protecteur des orphelins MONSEIGNEUR. C' eſt à cette adorable qualité que j' ai recours.

Je ſuis avec la plus grande veneration et le plus profond reſpect,

MONSEIGNEUR,

DE VOTRE EXCELLENCE,

à Leipzig le 14 d' Octobre 1751.

le très humble et très obeiſſant Serviteur

Chretien Godefroi Sigiſmond Richter.

Digitized by Google

I.

Quaeſtuoſarum artium princeps mercatura ſuppeditandis cum compendio mercibus, occupatur praecipue. Qua in re accidit ſaepius, vt emtores, in ſoluendo pretio moram faciant, venditores, ex mora vſuras exigant. Quo ergo iure vtantur mercatores, in exigendis, ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, vſuris, vtilis eſt quaeſtio, et neceſſaria. Eius vero diſputatio ad quatuor redire videtur capita; primo, quo iure exigantur, eae de quibus quaerimus vſurae; deinde, ex quo tempore deberi incipiant; porro, quis earum ſit modus; denique, quando deberi deſinant. Quid de his ſtatuendum ſit, ex praeſcripto eius iuris, quo in foro vtimur, perſpicue enarrabo et diligenter. Nolo ſcilicet, quae de vſuris eleganter ſcripſerunt atque docte CLAVDIVS SALMASIVS, IOANNES FREDERICVS GRONOVIVS, CAROLVS MOLINAEVS, GERARDVS NOODT, viri ampliſſimi, aliique quorum hi officiunt luminibus, repetere ambitioſius, aut in conquirendis levioribus, et a re mea alienis, magnorum hominum erratis, laborioſam, ſed tenuem aucupari gloriam. Neque multus ero in aceruando priuilegiorum cumulo, quae in cauſis mercatorum vſurariis, fingunt, non demonſtrant, antiquiores, repetunt recentiores, iuris commerciorum interpretes. Sufficiunt negotiatoribus

vera iuris beneficia, vana aequitatis ſpecie blandiuntur ficta. Iuſtitiae autem ſacerdotis eſt omnino, artem aequi et boni, ſeuera profiteri lege, ſed aequabili.

II.

Naturae et gentium iure, ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, id venditori debet emtor, quod venditoris intereſt, moram non fuiſſe factam, id ſcilicet, quod ceſſationis iniuſtae vitio ex re eius abeſt. Iubentur aeterna lege, ſinguli naturae rationali et ſociali conuenienter, ita viuere, vt omnes felices eſſe queant. Suum ergo cuique tribuendum, et quod alteri natura vel pacto debemus, non dandum ſolum, ſed et quod alteri ex re ſua, per nos abeſt, reſtituendum et repenſandum. Motus evidenti ratione HVGO GROTIVS [a], Vir ſummus, et omnibus, qui in immortali eius opere perficiendo et corrigendo laudem merentur, maior, quum in vſuras, divinae legis metu, iuſto eſſet iniquior, cenſuit rectiſſime, damnum quod facit qui re ſua caret, et lucrum exinde ceſſans, deducto incerto ſpei, et labore qui ſubeundus fuerat, ſummo iure repenſandum. Qui ergo merces meas emit, acceptis mercibus ad ſoluendum obſtringitur pretium: niſi paciſcentium conſenſu alius ſolutioni definitus fuerit terminus; quo facto, eadem neceſſitate, ad ſoluendum, veniente die, compellitur. Quodſi ergo, tempore quo ſoluere debuit, non ſoluat, obligatur naturae et pactionis lege, vt omne quod vitio iniuſtae ceſſationis, ob non ſolutum pretium ex re mea abeſt, reddat mihi et reſarciat. Quae quidem eius quod intereſt praeſtatio, ob moram debita, incipit, a tempore quo ſoluere debuit; definit quum ſoluit; complectitur et damnum ex ceſſatione contractum, et lucrum ob ceſſationem ceſſans, deducto, vti optime GROTIVS, incerto ſpei, et labore, qui ſubeundus erat. Aeſtimatio ex aequo et bono facienda; qua in re quum venditoris et lucri quod facere conſueuit

a) De Iur. Bell. et Pac. L. II. Cap. XII. §. 21. 22.

Digitized by Google

ſueuit, ratio ſit habenda, facile intelligitur, mercatoribus, plus nomine eius quod intereſt, deberi, quam aliis qui minus quaeſtuoſam viuunt vitam, quia illi et maiora ex ceſſatione contrahere ſolent damna, et maioribus, pecunia deſtituti excidunt lucris. Sed et id negari nequit, ſi emtor et venditor, de vſuris pretii, ſi mora in ſoluendo fiat, praeſtandis, pacti fuerint, venditorem plus vſuris, nomine eius quod intereſt, petere haut poſſe.

III.

Plana haec ſunt, et liquida, vt quae de naturae fonte manant, omnia. At intercedit hominum, qui virtutem poſt numos quaerunt, turba et colluuies, quo minus noſtris ſufficiant rebuspublicis. In qua, non quidem mercatores probos et cordatos, homines bono publico natos, conſpicimus, at inſerit ſe ei vbique, et turbam denſat, negotiatorum faex, viles animae, quibus fallere in votis eſt, et nubem obiicere fraudibus. His ſcilicet, facta in ſoluendo mora, aeſtimationem eius quod intereſt, venditori praeſtandam, eludere; e contrario, ſi venderent ipſi, alios petitione eius quod intereſt, bonis exuere, facile foret; niſi incertam eius quod intereſt aeſtimationem, certa et aequabili definitione emendarent leges ciuiles [b].

IV.

Iure romano in bonae fidei contractibus et iudiciis, ex mora vſuras deberi, certiſſimum eſt. L. 32. §. 2. D. de Vſur. et fructib. L. 2. C. Depoſ. etſi contra FRANCISCVM CONNANVM [c] doctiſſimus NOODTIVS [d] contendat, eas non deberi na-

b) ESPRIT DES LOIX L. XXII. C. XIX. XX. XXI. XXII. HVGO GROTIVS de I. B. et P. L. II. C. XII. §. 22. D'AVBE Eſſai ſur les Principes du Droit et de la Morale P. I. N. CLXIV.

c) Comment. Iur. Ciu. Lib. V. c. 3. n. 2.

d) De Foenore et Vſur. Lib. III. Cap. VI. et L. I. Cap. V. GOTFR. MASCOV. V. C. de Sectis. Cap. I. §. 3. ANTON. SCHVLTING. Theſ. Controu. Dec. XCI. Th. 7.

naturae judiciorum bonae fidei, ob vim atque amplitudinem formulae EX BONA FIDE, ſed demum poſt LABEONIS tentamina, conſtitutionibus imperatorum, generaliter fuiſſe introductas: neque minus ipſe IVLIVS PAVLLVS in L. 54. pr. D. Loc. Cond. vſuras in bonae fidei iudiciis, non tam ex obligatione proficiſci, quam ex officio iudicis applicari, adſerat. Debentur certe in omnibus bonae fidei iudiciis atque contractibus, in quibus quum ſit emtio venditio et emti venditi actio, L. 6. §. 1. D. de contrah. emt. vend. §. vn. I. de Oblig. ex conſens. §. 28. I. de Action. manifeſtum eſt emtorem ex mora in ſoluendo pretio facta, ad praeſtandas venditori vſuras, iudicis officio compelli. L. 49. §. 1. D. de Act. emt. vend. CONSTANTIN. HARMENOP. πϱοχειϱ. νομ. Γ. τιτ. γ. πεϱι τοκȣ. L. 5. C. de pact. int. emt. et vend.

V.

Debentur igitur vſurae in emtione venditione ex mora ſimpliciter, vti in omnibus bonae fidei iudiciis, quum e contrario in contractibus ſtricti iuris, vſurae non debeantur ex mora propter moram, etſi venire poſſint ex ſtipulatione propter moram. L. 40. D. de Reb. Credit [e]. At grauis hic incidit dubitatio, vtrum venditor, ſi accepto mercium pretio, lucrum vſuris maius facere potuiſſet, ex mora, vſurarum loco, id quod intereſt, habita lucri ratione, petere poſſit, an vſuris pretii tardius ſoluti, eum praeciſe et ſine vlla exceptione, contentum eſſe iubeant leges. Auget dubitationem mercatorum, de quibus in praeſenti diſputamus, conditio. Hi ſcilicet, non ſolent, pretium mercium venditarum, otioſum arcae confidere, ſed vix numeratum, emendis denuo, quas aliis cum quaeſtu ſuppeditare poſſint mercibus, reliquisque negotiis quaeſtuoſis, impen-

e) CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK Lib. Singular. ad. L. Lecta. c. XIV. ex CYNO ad h. l. Oper. minor. p. 100.

pendere. Qua ratione lucrum quaeri omnino poteſt, vſuris maius. Quo fit, vt iniquum videatur, mercatorem negotiari ſolitum, ex mora vſuras ſolas pretii tardius ſoluti accipere, non omne quod eius intereſt, quo et damnum contractum et lucrum ceſſans contineri, ſcimus. L. 13. D. Ratam rem haberi. L. vn. C. de ſententiis, quae pro eo quod intereſt proferuntur.

VI.

Controuerſiam omnem planiſſime dirimit et apertiſſime HERMOGENIANVS, cuius ex ſecundo Iuris epitomarum libro, decerpta eſt L. 19. D. de periculo et commodo rei venditae. Venditori ſi emtor in pretio ſoluendo moram fecerit, vſuras dumtaxat praeſtabit, non omne omnino quod venditor, mora non facta, conſequi potuit, veluti ſi negotiator fuit, et pretio ſoluto, ex mercibus plus, quam ex vſuris quaerere potuit. Verba legis tam ſunt perſpicua, vt ſine manifeſta fraude in aliam detorqueri nequeant partem. Vim legis dilucide explicat HARMENOPVLVS[f], Ο *αγοραϛης υπερθεσιν ποιησας εις την τȣ τιμηματος καταβολην, μονον τοκȣς διδωσι. Και ȣχ οσα ο πρατης εδυνατο δια των τιμηματων απο πραγματειας ως εικος κερδαναι.* Quae interpretatio legitur quoque in Eclog. Baſilicor. Libri XIX. Tit. VI. et VII. Cap. V.[g] quum libro decimo nono baſilicorum, inſigni elegantioris iurisprudentiae damno, careamus adhuc.

VII.

Mirum eſt in tanta manifeſtae legis perſpicuitate, fuiſſe nihilominus, qui exiſtimarent, licere mercatori, ob moram in

f) Προχειρ. νομ. Γ. τιτ. γ. τμ. περι τοκ. pag. 174. ed. Suallemberg. Paris. CIϽIϽXL.

g) T. II. p. 386. edit. CAR. ANNIB. FABROTTI. Paris. CIϽ IϽC XLVII.

in ſoluendo mercium pretio factam, neglecta vſurarum petitione, id quod intereſt, habita lucri ratione, ab emtore exigere: legem porro noſtram 19. D. de peric. et commodo rei vend. ne eam prorſus negligere videantur, intelligendam eſſe de lucro incerto, cuius rationem haberi, prohibeatur; quum e contrario ex lucro certo, id quod intereſt, aeſtimari, idque mercatori praeſtari, ob moram in ſoluendo pretio factam, aequitas iubeat, ſuadeat commerciorum fauor, poſtulet denique legum concentus. At quum clara ſint legis verba, ſententia illis contraria, non interpretatio exiſtimanda eſt, ſed fraus. Ac primo quidem, fallax illa et inſidioſa aequitatis praeſcriptio, me non mouet. Non nego in omnibus rebus, maxime tamen in iure aequitatem ſpectandam, L. 90. D. de Reg. Iur. at falluntur egregie, qui id eo torquent, vt quidquid ipſis aequum viſum fuerit, manifeſtae iuris ſcripti definitioni anteponere, nulli dubitent. Qua quidem aequitate nihil foret iniquius, nihil ad obterendam iuris artem, proſternendas leges, turbandam rempublicam, magis accommodatum. Ius, quo regitur reſpublica, finitum eſſe et poteſt et debet. L. 2. D. de Iur. et facti ignorant[b]. Vnde aequitati naturali in illis quae ciuili iure definiuntur, non eſt locus, niſi ſi verba legis fuerint obſcura, mens dubia, adplicatio ad ſpeciem obuenientem anceps. Porro ipſa illa aequitas, quam manifeſtae L. XIX. ſententiae opponunt, quam parum ſit aequa, facile eſt ad intelligendum, ſi cogitemus, quam incertum ſit ſemper ſere et dubium, lucrum quod ſperant mercatores, quam difficulter id aeſtimari, quam aegre denique probari poſſit, ceſſatione vnius alteriusque tardius ſoluentis, negotiatorem eo excidiſſe. Praeſtat igitur et publice vtilius eſt, certa lege, quid ex mora venditori, mercatori etiam ſit praeſtan-

b) Adde ex mente ICtorum veterum FERDIN. HOMMELIVM. de diſputantem doctiſſimum CAROL. Princ. cauſa diſſen. inter ICtos §. VIII. IX.

ſtandum, ſtatuere quam permiſſa, eius quod intereſt ancipiti petitione, innumeras ſerere controuerſias, immortales alere lites. Idem de commerciorum, quem porro adlegant fauore dicendum. Maximus is eſt iure meritoque, at non id efficit, vt a manifeſta legum voluntate, eius praetextu, ſit recedendum; perſpicuum praeterea eſt in ſententiis quae pugnant, eam commerciis fauere certiſſime, quae controuerſias minuit, lites praecidit. Vnde nec eo nomine fraus facienda HERMOGENIANO.

VIII.

At grauiora vrgent. Prouocant ad legum concentum. Ne cum plebe mihi res ſit, dabo cauſae patronum egregium IOANNEM CORASIVM. Scripſit Iuris conſultiſſimus vir [i], pugnare fortiſſime conſtitutionem Hermogenis cum L. 2. fin. D. de eo quod certo loco, atque ad eius textus diſſolutionem non eſſe fortaſſe malum, diſtinguere inter certum et incertum lucrum, vt certi lucri in eo qui ſolitus eſt negotiari ducatur ratio, d. l. 2. §. final. veluti ſi conſtaret, negotiatorem lucrum facere potuiſſe, quia fortaſſe prae manibus merces habuit, quas ſi praeſentem habuiſſet pecuniam, emiſſet. Incerti vero lucri non habeatur ratio, quandoquidem non ſequatur, conſuetus eſt aliquando lucrari, ergo ſi nunc habuiſſet, lucratus eſſet, multa enim accidere poſſunt, quae lucrum impediant. L. naturalem §. 1. D. de adquir. rer. dom. Nec eſſe diſſimile, quod in actione legis Aquiliae dicimus, in qua non conſideratur, futurum lucrum, quod erat in ſpe tantum, propter eius incertitudinem. L. quemadm. §. idemque habeo D. ad Leg. Aquil. Eo ergo redit doctiſſimi CORASII opinio, diſtinguendum lucrum perſonae negotiari ſolitae certum et incertum, de illo intelligendam L. 2. §. fin. D. de eo quod certo loco; de hoc L. 19.

i) Miſcellan. Iur. Ciuil. Lib. III. Cap. XIII. n. 6. 7. 8.

19. D. de peric. et comm. rei vend. At primo quidem, quam parum conueniat hoc diſcrimen lucri certi et incerti, quod in ſcholis probabili ratione diſputari poteſt, foro et curiae mercatorum, facile intelligent rerum periti: eſt enim omne quod ſperatur mercatorum lucrum dubium et innumeris expoſitum periculis atque difficultatibus, vt ſit nemo qui ſi prae manibus habeat merces, easque praeſenti emat pecunia, certam futuri lucri fidem facere poſſit alteri, ob innumeras commerciorum viciſſitudines, mercium fata, pretii ſubitas ſaepe et magnas mutationes. Quae quum dicta ſint ſaepius, et res loquatur ipſa, amplius perſequi, non eſt opus. Nec in eas compulſi ſumus anguſtias, vt ad concordiae inter L. 19. D. de pericul. et commod. rei vend. et L. 2. §. fin. de eo quod certo loco, reconciliationem, ementita vtendum ſit diſtinctione, cuius in lege noſtra nullum reperimus veſtigium et quae menti eius atque verbis clariſſimis vim adhibet.

IX.

IACOBVS CVIACIVS [k] vir ſummus, Legem ſecundam eiusque partem quoque vltimam D. de eo quod certo loco, de ſola pecunia traiectitia intelligendam monet, quae ſicut nec ſeruet modum vſurae legitimum, ita nec habeat modum petendae vtilitatis, quae extra rem eſt. At lex iſta ad ſolam pecuniam traiectitiam trahi nequit, etſi eius exemplo vtatur; ſed generatim naturam actionis arbitrariae de eo quod certo loco promiſſum eſt darique oportuit explanat, ea ſcilicet non ſolum peti quod promiſſum eſt, ſed et omne id quod actoris intereſt, dicto loco ſolutum non eſſe. Quo conſilio addit VLPIANVS in fine legis: *Quid ſi merces ſolebat comparare, et an et lucri habeatur ratio, non ſolius damni? puto et lucri habendam rationem.* Cauſa nimirum cur in actione arbitra-

k) In African. Tract. VIII. ad L. 33. Locat. Adde Obſeru. Lib. IX. cap. 31.

Digitized by Google

traria de eo quod certo loco, promiſſor non condemnetur in ſolas pecuniae vſuras, ſed in omne id quod actoris intereſt dicto loco ſolutum non eſſe, habita non damni ſolum quod fecit, ſed et lucri quod facere potuiſſet ratione, haec eſt, quod promiſſor ſe non obligauit ſolum ad pecuniae ſolutionem; ſed etiam ad ſolutionem faciendam loco eo, in quo pecunia creditor indigebat et vti deſtinauerat. Vnde ſi eo loco non ſoluat, non de mora ſola quaeritur, ſed de facto promiſſo, ſoluendi certo loco; cuius nomine quum id non fiat, et inde actor damnum contrahat, vel lucro careat, promiſſor condemnatur in omne quod intereſt. Quod ſecus eſt in pretio rerum venditarum, cuius nomine ad pecuniae ſolutionem ſolum obligatur emtor, et ideo ex mora vſuras duntaxat praeſtat. Ita, vt mihi videtur, rectiſſime vtramque legem explicant et ſibi reconciliant, poſt DONELLVM, CONTIVM, ALCIATVM, ANTONIVS PEREZ [l] et GERARDVS NOODT [m]. Conſentiunt graeci, Βασιλικων Libro XXIV. Tit. IX. Cap. III. [n] etſi quaedam in eo capite deſint. Poſtquam enim in arbitraria de eo quod certo loco actione, reum damnari in id quod actoris intereſt, dictum fuerat, formatur ex vltimis legis noſtrae verbis, perſpicua eius quod intereſt, et quod a νομιμω τοκω ſeparatur, definitio. ου γαρ μονης ζημιας αλλα και κερδους απαιτειται διαφερον: adſcripta margini nota εν τη αρβιτραρια σκοπειται το διαφερον.

X.

Quum ergo ſatis, vt opinor, pateat, ſecundum romanorum leges, ex mora in ſoluendo pretio facta, vſuras dumtaxat praeſtari: nec ea in re mercatores et negotiatores, ſi mora in

 ſol-

l) Praelect. ad Cod. Lib. VII. Tit. XLVII. n. 18.

m) De Foenor. et Vſur. Lib. II. Cap. VI.

n) Tom. III. p. 574. edit. FABROTTI.

Digitized by Google

ſoluendo iis mercium pretio fiat, diverſo vti iure, reliqua expediri poterunt facilius, ex quo ſcilicet tempore vſurae mercatori ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, debitae iure romano, currere incipiant, quis earum ſit modus, quando deberi deſinant.

XI.

Currere incipiunt a tempore factae morae. Mora autem dupliciter in iure noſtro fieri dicitur, ex perſona, ſcilicet, et ex re. Ex perſona fit, quum opportuno loco et tempore poſtulanti, ſine iuſta dilationis cauſa, non datur. IVL. PAVLL. Sentent. Recept. L. III. Tit. VIII. §. ult.o). L. 32. pr. L. 21. L. 24. D. de Vſuris. Ea vero proprie mora dicitur. Ex re fit, quum firmata iure aequitas, re ipſa pro homine interpellat et ſiue iuſta dilationis cauſa non ſoluitur. Veluti, ſi ſocius pecuniam communem inuaſerit, vel in ſuos vſus conuerterit, L. 1. §. 1. D. de Vſur. ſi obligatio ex die contracta ſit, et dies praeterierit L. 114. D. de V. O. L. 12. C. de contr. ſtip. ſi quis pecuniam ſuam in alterius vſus expendit, quum eam alibi vtiliter poſſet collocare L. 12. §. 9. D. Mandati L. 37. D. de Vſur. Taceo plura, quae morae ex re factae et quae proprie mora eſſe negatur, L. 1. §. 1. D. de Vſur. colligi poſſent exempla p). Haec autem quae ex re fit mora, ſpectatur in emtione venditione. Emtor ſcilicet, qui rei poſſeſſionem accepit, neque pretium ſoluit, etſi a venditore interpellatus non ſit vſuras pretii poſt diem traditionis debet, quum aequiſſimum ſit, eum qui re fruitur, vſuras pretii pendere. L. 13. §. 20. D. de Act. Emt. Vend. L. 5. C. de Act. Emt. IVL. PAVLL. Sentent. Recept. Lib. II. Tit. XVII. §. 9. Adſcribenda tamen regulae

o) Iuriſpr. Anteiuſtin. ed. Lugdun. Bat. CIƆIƆCCXVII. p. 382. ibique ANTON. SCHVLTING. n. 14. 15. GERH. NOODT de Foenor. et Vſur. L. III. c. 9. Foenor. et Vſur. Lib. III. c. 10. IOAN. ORTWIN. WESTENBERG Princ. Iur. Ciu. ſec. Ord. Dig. Tit. de Vſur. §. 70. 71. 72. ANTON. SCHVLTING Theſ. Controu. Dec. XCI. Th. 9.

p) Vid. GERHARD NOODT de

regulae exceptio. Si inter emtorem et venditorem de tardiori ſolutione conuenerit, et dies ſolutioni dictus fuerit; tum enim obligatione ex die contracta, mora fieri nequit, antequam dies praeterierit. Ante diem ſcilicet venditor plus petitionis exceptione repellitur, et emtor iuſtam habet dilationis cauſam. L. 21. D. de Vſur. Eo igitur caſu et in propoſita ſpecie, vſurae non debentur ex mora, niſi praeterlapſo die, qui dein pro homine interpellat, et emtori tardius ſoluenti neceſſitatem vſuras praeſtandi imponit. L. 88. D. de Reg. Iur. L. 27. §. 1. D de V. O. L. 54. D. de pact. L. 12. C. de Contrah. ſtipul.

XII.

Iure ergo Romano venditori emtor vſuras ex mora in ſoluendo pretio facta, ſi nullus ſolutioni dies dictus, poſt diem traditionis, debet ſimpliciter, ſi in diem ſolutio concepta, poſtquam is praeteriit. Nulla in iure noſtro de mercatoribus exceptio, nullibi ius ſingulare proditum, communi cum aliis venditoribus vtuntur. At intercedunt, viri grauiſſimi q), et mercibus a mercatore venditis atque traditis, ex mora non ſtatim vſurarum petitionem naſci, ſerio contendunt. Qui ſi patriae aut prouinciae adſerrent contrarias leges, aut ſi probata legitima conſuetudine, quae ius facit, a communi iure ſecedendum eſſe, caute monerent, audiendi eſſent. Quum vero legum auctoritati, communem opponant opinionem, eique aequitatis fuco illitum adiiciant colorem, parum proficiunt Ingenue MEVIVS r): Vulgata eſt haec opinio, quam inter mercatores ſequimur, ita vt in conſuetudinem abierit. Excidit haec vox viro cordatiſſimo. Quam vero parum cum iuris arte conſentiat, quam ſit legibus et reipublicae inimica, vident facile,

 qui

q) CAROL. MOLINAEVS de Vſur. Num. 548. qu. 74. PAVL. CHRISTINAEVS Deciſ. Cur. Mechl. Vol. III. D. 42. n. 7 ſqq. DAV. MEVIVS P. III. Dec. II. GEORG. AD. STRVV. Exercit. XXVII. Th. 48. Piget adſcribere plures: praeeuntibus viris magni nominis, innumerabilis ſolet eſſe conſentientium grex.

r) Dec. XI. n. 2. P. III.

Digitized by Google

qui intelligunt, quantum ciuitatis interſit, ſingulorumque ciuium, iure certo vti et conſtanti. Opinionis aduerſus leges nulla vis et errori nullum a turba praeſidium: conſuetudo autem, vt legibus poſſit derogare, legitime eſt probanda, nec demonſtratur denſatis doctorum nominibus, ſed rerum documentis. Quod de aequitate addunt, eadem qua ſupra vſus ſum diluitur reſponſione. Aiunt, mercatores non facile ſine lucro merces vendere; iniquum eſſe, vt lucrum duplex, additis ex tempore traditionis vſuris capiant, facillime eo iure abuſuros mercatores, ad homines omnes vſuris ſubiiciendos. Belle fateor, nec ſine aequitatis blanda ſpecie, haec dicuntur, et eiusmodi plura. At nec id probari poteſt, mercatores, ſi illis ex tempore traditionis vſurae concedantur, duplex continuo facere lucrum; nec ferendum eſt, legem contemni, ne ſint qui ea abutantur. Quam ſit praeterea, inſtabile, tenebricoſum et inexplicabile iter, ſi a recta iuris certi via divertas, hoc vno perſpicue docemur exemplo. Quum enim negaſſent viri boni, mercatori ſi nullus ſolutioni dies definitus, ex tempore traditionis vſuras deberi, at videant manifeſtam ei fieri iniuriam, ſi mercium pretio diutius carere cogatur, et ne eius quidem legitimas capiat vſuras, miſere ſe torquent, et cum deſerta legis auctoritate, nulla certa et conſtanti ratione, ſe hac expedire queant difficultate, illigati haerent. Adi, ne patientiam accenſi fatigent, triarios MOLINAEVM et MEVIVM. Videbis quam ſibi conſtent parum. Maneo ergo in ſententia: Vbi romano iure viuitur, niſi lex adferatur contraria, aut conſuetudo repugnans legitime fuerit probata, mercatori ob moram in ſoluendo mercium pretio factam, a tempore traditionis, vſuras deberi, at ſi dies ſolutioni dictus, ex quo is praeteriit.

XIII.

Quum iudicio bonae fidei diſceptatur, arbitrio iudicis vſurarum modum ex more regionis, vbi contractum eſt, conſtitui

Digitized by Google

ſtitui, ita tamen vt legi non offendat, iubet hauſta a PAPINIANO L. I. pr. D. de Vſuris et Fruct. Idem ergo de vſurarum mercatori praeſtandarum modo et quantitate ſtatuendum. Quia vero Imperator in L. 26. C. de Vſur. ſuper vſurarum quantitate generalem ſanctionem facere neceſſarium duxit, addendum; eius legis §. I. IVSTINIANVM iubere: illos, qui ergaſteriis praeſunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, vſque ad beſſem centeſimae vſurarum nomine in quocunqe contractu, ſuam ſtipulationem moderari. Quae imperatoriae conſtitutionis pars in Βασιλικῶν Libro XXIII. Tit. III. eodem capite LXXIV[s] bis legitur exiguo diſcrimine, primo *αργυροπραται δε και εμποροι αχρι διμοιριας εκατοστης*: deinde in eius capitis fine: *εκεινες δε οιτινες εργαστηριων προεστηκασιν η τινα θεμιτην πραγματειαν χειριτεσιν, εως διμοιρε εκατοστης την ιδιαν επερωτησιν συμμετρειν.* Poſterius gloſſema videtur, quod ex adnotatione, hominis qui cum prior interpretatio verbum pro verbo non reddat, fideliorem orae codicis forſan adleuerat, textui adſui coepit. Caeterum latius patere eorum qui ergaſteriis praeſunt appellationem, quam vt ſolos argentarios, quos *αργυροπρατας* graeci vocant, comprehendat, dubio caret. Sunt ergaſteria tabernae, vnde in L. 2. C. de epiſcop. et cler. eius fit mentio quod ex ergaſteriis vel tabernis, conquiri poteſt et colligi, et cum LIVIVS[t] memoriae prodiderit a Tarquinio Priſco circa forum tabernas factas, DIONYS. HALICARNASSEVS[u] de eodem ſcripſit: *την τε αγοραν . . . εκεινος εκοσμησεν, εργαστηριοις . . περιλαβων.* Feciſſe autem trapezitas in tabernis circa forum argentariam, ſcimus[x], ſed et alios tabernis vſos tum ex LIVIO colligimus[y], tum docet aperte IVSTINIANVS L.

s) Tom. III. p. 460. 461. Edit. FABROTTI.

t) Lib. I. c. 35.

u) Ρωμ. Αρχαιολ. Lib. III. Ed. Weidm. Tom. I. p. 200. v. 17.

x) Vid. Viri amiciſſimi IOAN. GOTOFR. SIEBERI Liber doctus et elegans de Argentariis Cap. III. p. 62.

y) Lib. XXVI. c. 27.

Digitized by Google

L. un. C. Negotiatores ne militent, qua eos qui in alma vrbe, vel in prouinciis cuidam ergaſterio praeſunt, militare prohibet, exceptis argenti diſtractoribus, qui in alma vrbe negotiantur. Vnde fit manifeſtum eſſe argentarios in illis qui ergaſteriis praeſunt, ſed non ſolos. Omnes ergo mercatores et negotiatores imperator L. 26. C. de Vſur. vſurarum ſtipulationem vſque ad beſſem centeſimae, id eſt octo pro centum, vti ſciunt hodie omnes [z], moderari iubet. At num in aliis caſibus in quibus citra ſtipulationem vſurae exiguntur, mercatoribus beſſes debeantur dubium videtur, quum quae porro ſanxit imperator; et eam quantitatem vſurarum etiam in aliis omnibus caſibus nullo modo ampliari, in quibus citra ſtipulationem exigi vſurae ſolent; nec liceat iudici memoratam augere taxationem, occaſione conſuetudinis, in regione obtinentis; quum inquam haec ſanctio, illi de dimidia centeſimae aliis hominibus permiſſa, arctius cohaerere videatur, et interpunctorum notis, in libris noſtris, iungantur. Vnde colligunt quidam, diſcrimen vſurarum ex conditione hominum, ad ſtipulationem ſolum pertinere, in aliis caſibus, quibus ſine ſtipulatione officio iudicis debentur vſurae, nonniſi ſemiſſes, id eſt ſex pro centum exigi poſſe. Fuiſſe in ea ſententia videtur Vir doctiſſimus GERARDVS NOODT [a]. Sed eam quidem opinionem menti imperatoris minime conſentaneam exiſtimo. Voluit ſcilicet imperator quantitatem vſurarum generali taxatione definire, habita ratione eius quod homines pro conditionum diſcrimine lucrari decet, vel ipſi lucrari poſſunt. Quum ergo eam quantitatem in ſtipulatione vſurarum definiuiſſet, pro conditionum diſcrimine, eandem quantitatem, eandem taxationem in reliquis caſibus in quibus citra ſtipulationem vſurae exigi ſolent, ſequendam ſancit. Habemus imperatorem mentis ſuae interpretem

z) IOANN. FRED. GRONOV. de Pecunia veteri Lib. III. p. 220. edit. Lugdun. anni CIↃ IↃC XCI.

a) De Foenor. et Vſur. Lib. II. c. XIV.

pretem Novell. CXXXVI. c. IV. qua de beſſibus vſuris latam legem, ad eas quoque pertinere haud obſcure ſignificat, quae ſuapte ſponte introducuntur; et id tantum priuilegii addit argentariis, vt vſurae illis non ſolum ex ſtipulatione, ſed etiam abſque ſcripto praebeantur. Theodorus Scholiaſtes graecus [b], quem conſentientem laudat NOODTIVS, de vulgaribus loquitur, non negat legitimam mercatoriarum quantitatem, quod apparet luculenter ex eiusdem Scholio ad Baſilic. L. XXIII. Tit. III. Cap. LXXIV [c]. Recte ergo, iure romano, mercator ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, beſſes exigit vſuras, et firmatur ea ſententia manifeſta iuris ratione. Vſuras ex mora accipit, quia ſi pecunia quo ſolui debuit, ſoluta fuiſſet tempore, ex illa vſuras quas lex permittit, percipere potuiſſet L. 29. §. 2. D. de aedil. edict. Quum ergo permittente lege beſſes percepturus fuiſſet, beſſes quoque ex mora ipſi debentur. Quae igitur ciuitas romano vtitur iure, eius mercatores, niſi contraria adferatur lex, aut probata legitime conſuetudo, ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, ſortis beſſes legitime exigunt vſuras, id eſt quouis anno octo pro centum.

XIV.

Eae tandem deberi, hoc iure, deſinunt, iisdem modis, quibus aliae finiuntur vſurae, extincta ſcilicet obligatione principali, remiſſione creditoris expreſſa vel tacita, et ſi quantitas vſurarum ad duplum ſortis peruenerit [d]. Qua in cauſa, quum ius ciuile, mercatoribus nullum ius ſingulare tribuat, in finiendis pretii tardius ſoluti vſuris, communi vtuntur. Vnum ſpecia-

b) Schol. ad Baſilic. L. XXIII. Tit. III. c. I. Tom. III. p. 388. ed. FABROTT.

c) Tom. III. p. 476.

d) GERARD. NOODT de Foen. et Vſur. Lib. III. c. 14. 15. 16. 17. IOAN. ORTWIN. WESTENBERG Princ. Iur. Ciu. ſec. Ord. Dig. T. de Vſur. §. 33-41. VLRIC. HVBERVS Praelect. Iur. Ciu. P. III. Tit. de Vſur. §. 23-29.

ciatim monere iuuat, mercatores vſuras pretii mercium tardius ſoluti exigentes, teneri omnino lege, quae curſum vſurarum ſi ſortem aequent, ſiſtit. Manifeſta ſunt L. 27. §. 1. C. de vſuris verba: Quod et in bonae fidei iudiciis, caeterisque omnibus caſibus, in quibus vſurae exiguntur, ſeruari cenſemus. Nec id iniquum. Mercatorum eſt cauere ne nomina inueteraſcant, quod et creditoribus vtile, quum vel optima non appellando fiant mala, et ipſis debitoribus proficuum, quo enim diutius additis vſuris creſcit nomen, eo difficilius diſſoluitur.

XV.

Sufficerent, quae diximus, ad rem de qua quaerimus expediendam explicandamque, ſi ſolis romanorum legibus in foro iudicſisque noſtris vteremur. At quum Canonico iure, mutata fuerint multa, turbata omnia, eius vero ex recepto et publice adprobato more ea ſit auctoritas, vt iuri ciuili anteponatur fere, ex eo adferenda ſunt, quae ad noſtram faciunt quaeſtionem, praeſertim, quum ſine illis ne patriae quidem de hoc argumento leges, ſatis poſſint intelligi.

XVI.

Teſtatiſſimum eſt iuris canonici in vſuras omnes odium, cuius hiſtoriam doctiſſime contexuit et plene, IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS[e]. Fuit quidem CAROLVS MOLINAEVS[f] in ea opinione, ſententiam iuris ciuilis de vſuris non eſſe correctam nec reprobatam per canones, quibus ſcilicet non damnentur niſi mordaces illae et turpes, centeſimae iisque maiores. At manifeſtiores ſunt iuris canonici errores, quam vt mederi illis poſſit, ingenioſa doctiſſimi MOLINAEI excuſatio. Vſurae nomine, omne intelligi, quod ſorti accedit,

e) Iur. eccleſ. ad Tit. X. de Vſur. §. 17 ſqq. Tom. V. p. 329 ſqq.

f) De Commerc. Contr. et Vſur. Qu. LXXIV. Num. DXV. DXVI.

dit, et praeter eam quacunque ratione exigitur, ex c. 1. 2. 3. 4. C. XIV. Qu. 3. praeterea ex c. 1. 2. 8. 10. X. de vſuris, tam eſt euidens, vt nullam relinquat dubitationem. Illae vero vſurae omnes, rapinae c. 10. C. XIV. Qu. 4. et homicidii inſtar c. 11. C. XIV. Qu. 4. damnantur, nec ſolum Clericis, exemplo Canonis XVII. Concilii Nicaeni, quem bis exhibet Gratianus c. 2. D. 47. et c. 8. C. 14. qu. 4. interdicuntur, ſed Laicis etiam c. 7. 10. 11. C. 14. qu. 4. c. 2. 7. X. de vſuris, ipſisque quod mirum Iudaeis. c. 12. 18. X. de vſur. Nec vlla ſeueriori regulae adſcribitur exceptio, niſi lepida illa et paene ridicula c. 12. C. XIV. Qu. 4. qua in eos permittitur ius vſurae, in quos eſt ius belli. Eo iure ergo nec mercatoribus, ob moram in ſoluendo pretio factam vſuras exigere licet, quod tum ex vi prohibitionis generali intelligitur perſpicue, quae omnes complectitur homines, omnesque eius quod ſorti accedit formas: tum ex eo haut obſcure colligitur, quod rebus ſuis conſulturi negotiatores, merces ſuas longe maiori pretio diſtrahendas cenſuerint, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi eis in continenti pretium perſoluatur. c. 10. X. de vſur. cuiusmodi contractus quum improbaſſet Vrbanus III. c. 10. X. de vſur. excuſandos pronunciauit, Gregorius IX. c. 19. X. de vſur. ſi tamen venditor merces tempore contractus non fuerat venditurus.

XVII.

Quum ſcilicet ea iuris canonici in damnandis vſuris ſeueritas, mutuis hominum commerciis, ipſique repugnaret aequitati, inuentis verborum fraudibus, mitigari eam neceſſe fuit et impediri. Inde ſocietatum mercatoriarum, in quibus alter pecuniam confert, alter operam [g], annuorum redituum, montium pietatis, natales aut incrementa [h]. Inprimis autem petitio

g) Societez en commendite. v. SAVARY Parfait Negotiant P. II. L. I. ch. I.

h) IVSTVS HENN. BOEHMER. Iur. eccleſ. ad Tit. X. de Vſur.

Digitized by Google

tio eius quod intereſt, in quam transfuſa fere omnis exactio vſurarum ex mora debitarum, quae ſcilicet ex eo tempore non exoſa vſurarum voce, ſed aequiori vt videbatur, licet parum latino nomine τȣ Intereſſe morae peti coeperunt. Quum enim petitionem eius quod intereſt naturalis commendaret aequitas, nec improbaret ius canonicum [i], commiſſa a debitore mora, creditor laeſus aeſtimationem damni contracti et lucri ceſſantis, negatis poſtulabat vſuris, quod mercatoribus etiam ob pretium tardius ſolutum, permitti conſueuit [k]. Rediit ita res ad primam iuris gentium ſimplicitatem; at quum praeſtatio eius quod intereſt ex aeſtimatione damni et lucri pendeat, nec certis coerceatur finibus, creditori probandi onus non potuit non imponi, debitori vero poſt defenſionis longas ſaepe et difficiles ambages, neceſſitas aeſtimationem praeſtandi, vſuris duriorem omnino. Quo factum, vt ficta illa iuris canonici humanitas, grauior eſſet ciuilis iuris rigore, quod poſt CAROLVM MOLINAEVM [l] et ANDREAM ALCIATVM [m] monuit rectiſſime GERARDVS NOODT [n]. Ne ergo auaritiae omnia licerent, immo ne quotidianae orirentur, immortales alerentur lites, praeſtationem eius quod intereſt iuſtis circumſcribere limitibus, nouis regere legibus, opus fuit. Quod qua ratione inter Germanos, et inprimis in Saxonia noſtra factum fuerit, dicam breuiter, vt intelligi poſſit, quo tandem iure mercatores noſtri, facta in ſoluendo pretio ab emtoribus mora, vſuras conſequantur, vel earum loco, id quod intereſt. Nolo enim noua illa et peregrina appellatione τȣ̃ Intereſſe morae, teretes laedere et vrbanitati adſuetas aures.

XVIII.

§. 24. Tom. V. p. 337. CLAVDIVS FLEVRY Inſtit. Iur. eccleſ. P. III. c. 13. §. 4.

i) C. 48. X. de ſent. excomm. c. vn. X. de plus petit.

k) Gloſſ. in c. 8. X. de Vſur. FLEVRY. l. c. §. 3.

l) Tract. Commerc. et Vſur. Qu. II. Num. LXXV.

m) Ad. L. CXXI. D. de Verb. ſignificat.

n) De Foenor. et Vſur. Lib. I. c. 12.

Digitized by Google

XVIII.

Intrauit cum iure canonico Germaniam vſurarum odium, ſeu, vt dicam verius exoſae vocis formido [o]. Sic vt ex antiquioribus duo adferam exempla, in Capitulari Aquisgranenſi ſeu primo KAROLI M. cap. V. omnibus omnino interdictum eſt ad vſuram aliquid dare [p]; et in Legibus LOTHARII I. cap. 19. prohibetur, vt nemo vſuras facere praeſumat poſt ſui epiſcopi conteſtationem. Quod ſi quis poſt eius interdictum facere praeſumſerit, a comitibus, praecipitur, vt diſtringatur [q]. Nolo in re facili eſſe verboſus, quum praeſertim in antiquis illis Germanorum legibus, de mercatorum ex mora vſuris ſeperatim edicatur nihil. Quod enim Capitularium Libro VI. cap. CCLXXXIX. [r] placuerit, vt admoneantur omnes fideles, qui negotiis ac mercationibus rerum inuigilant, vt non plus terrena lucra, quam vitam cupiant ſempiternam; praeceptum eſt, non regula. Ad eas pergo, communes Germaniae leges, quae propoſitam propius attingunt quaeſtionem.

XIX.

Quum, vti ſupra dixi, damnatis vſuris, mercatores aliique, ex mora, id quod intereſt peterent, eiusque difficilis et probatio et aeſtimatio, fora controuerſiis compleret, litesque longis moraretur ambagibus, malum id, graue et pernicioſum nouam poſcere videbatur medicinam. Cogitatum de ea in comitiis deputatorum imperii Wormatienſibus anno CIↃIↃLXXXVI, ſed publica imperii ſuper hac re ſanctio promulgata demum Receſſu Deput. Spirenſi anni CIↃIↃC, cuius caput

o) BOEHMERVS Iur. eccl. Tit. X. de Vſur. §. 26.

p) Corp. Iur. Germ. Ant. edit. PETRI GEORGISCH. p. 554. adde Capitular. Franc. ab Anſegiſo collecta Lib. I. cap. V. ibid. p. 1290.

q) Corp. Iur. Germ. p. 1219. 1220.

r) Corp. Iur. Germ. Ant. p. 1572.

put CXXXIX adſcribam integrum [s], quum maximus eius ſit per omnem Germaniam, in ea quoque de qua diſputamus quaeſtione, vſus. Edicitur: *So viel nun, dieſem nach, den zum Eingang itzigen Abſchieds, angeregten Puncten mutui anlangen thut, haben ſich der Churfürſten, deputirter Fürſten und Staende, anweſende Raethe und Geſandten erinnert, was derentwegen bey gehaltenem Deputation-Tag zu Wormbs, im Iahr achtzig ſechs der wenigern Zahl fürgangen, unſere damahls anweſende Commiſſarien, auch ſich mit ihnen verglichen, daſs nehmlich in dem vorgefallenem Streit, ob nicht in contractibus mutui, damit die partheyen in puncto liquidationis, an unſerm Kayſerl. Cammergericht, des langweiligen Proceſs enthaben ſeyn möchten, auch ietztgemeldt Cammergericht damit nicht überladen, ein gewiſſes loco intereſſe a tempore morae zu ſtatuiren und zuſetzen, vor billig geachtet worden, wann der Schuldner in mora reſtituendi pecuniam mutuam iſt, daſs er ſeinem Glaubiger von derſelben zeithero, der Vermuthung halben, daſs der Creditor ſein Geld, von ſolcher Zeit an, anlegen und zugelaſſener Weiſe, zum wenigſten vom hundert, fünf wohl haben möge, das intereſſe zu entrichten und gut zu machen, ſchuldig ſeye, welches wir uns auch gnaedigſt alſo gefallen laſſen: So ordnen und wollen wir nachmals, daſs ſolch intereſſe a tempore morae erſtattet, und derentwegen den Creditorn fünf Gülden von hundert bezahlet werden, oder aber da dem creditori ſolche fünf Gülden nicht annehmlich, ſondern er vermeynen wollte, tam ex lucro ceſſante quam ex damno emergente, ein mehrers zu fordern, daſs ihme alsdann ſein ganz intereſſe, zu deduciren, gebührlich zu liquidiren, und zu beſcheinen, und der richterlichen Erkaentniſs darüber zu gewarten,*

s) *Vollſtaendige Sammlung der Reichsabſchiede* P. III. p. 494. editionis optimae, quae dirigente Viro Summo et de Iure publico atque priuato immortaliter merito HENRICO CHRISTIANO L. B. de SENCKENBERG prodiit Francofurti CIↃIↃCCXLVII.

ten, unbenommen ſeyn ſoll. Animaduerſione omnino digna eſt, publica haec et communis germaniae lex, quam doctius nemo et plenius illuſtrauit, Viro ampliſſimo IOANNE FRIDERICO HOMBERGK ZU VACH [t], cui iungi meretur vtiliſſimus MICHAELIS GRASSI labor [u].

XX.

Etſi autem, quae attulimus legis verba, nonniſi de contractu mutui, et praeſtando ex eo, vt aiunt intereſſe morae, loqui videantur; recte tamen et ex mente legislatorum ad omne id proferuntur, quod ob moram in ſoluenda pecunia factam, nomine eius quod intereſt, peti ſolet. Primo enim generalis eſt legis cauſa, et ad omne quod ob moram in ſoluenda pecunia factam petitur, pertinet aequaliter, neceſſitas ſcilicet, praecidendi ambages difficiles, quibus, vt lex loquitus, in puncto liquidationis tum partes implicari ſolent, tum fatigari iudices. Deinde, ratio qua lex vtitur, in definienda certa quantitate eius quod actoris intereſt, moram in ſoluenda pecunia non fuiſſe factam, non ad ſolam in reddendo mutuo moram pertinet, ſed ad ceſſationem quamuis, in ſoluenda quae ſolui debuit, pecunia, *der Vermuthung halben, daſs der Creditor ſein Geld, von ſolcher Zeit an anlegen, und zugelaſſener weiſe, zum wenigſtem, vom hundert fünf wohl haben moege.* Denique, ipſa ſanctionis verba, latius patent, quam vt ad eam, cuius in exordio legis mentio facta, formam, reſtringenda videantur: *So ordnen und wollen wir nachmals, daſs ſolch Intereſſe a tempore morae erſtattet, und derentwegen etc.* Comprobat praeterea, eam interpretationem, qua omnia quae ad eandem vtilitatem tendunt, comprehenduntur, conſtans fori

t) Diſput. de Vſuris in contractibus ſtricti iuris, ſecundum receſſum deputat. de anno 1600. §. 139. Marburg. 1736.

u) Collat. Iur. Ciuil. Roman. cum Receſſ. imper. Sect. VI. §. 2. p. 291. ſqq.

Digitized by Google

fori vſus' quo ſiue ex mutuo, ſiue ex emtione venditione, aliaue cauſa' Pecunia debeatur, ob moram in ſoluendo commiſſam, ceſſator in quincunces, condemnari ſolet.

XXI.

Ex eius ergo legis praeſcripto, mercatoribus ob moram in ſoluendo mercium pretio factam optio permiſſa, vtrum vſuris pretii tardius ſoluti quincuncibus contenti eſſe, an id quod intereſt, facta damni emergentis et lucri ceſſantis demonſtratione atque aeſtimatione petere velint. Quum tamen quae lites protelant, commerciis ſint inimica, mercatoribus rerum peritis exoſa, ſuadendum omnibus, vt deſerta poſteriori, priorem ingrediantur viam. Rarius certe, nec niſi grauiſſima vrgeat cauſa, poſteriorem calcare, iuuat.

XXII.

Hoc iure mercatores per vniuerſam vtuntur Germaniam, niſi alia adſit prouinciae lex, aut probata, vt par eſt, conſtans et perpetua conſuetudo. Iure LVBECENSI x), cuius quam late pateat vſus, ignorat nemo, aliud iniuſta ceſſatione laeſis, datur biuium. *Iſt einer dem andern ſchuldig, es ſey von gelehnetem Geld, oder ſonſt richtiger liquidirter Schuld, auf eine gewiſſe Zeit zu bezahlen, haelt er den Termin nicht, ſondern behaelt das Geld nach dem Tage bey ſich freuentlicher, muthwilliger weiſe, wird er darum gerichtlichen beſprochen, ſo ſoll er wiederum ſeinem Creditori ſoviel Geld ſo lang lehnen, als er nach dem Tage gehabt, oder er muſs ihme den beweislichen Schaden ausrichten.* Prior modus, vt ceſſator creditori ſuo tantundem pecuniae tanto tempore, quo in mora fuit, mutuetur, multum ſaepe habere poteſt iniquitatis, quum ſaepius, plus interſit creditoris, mercatoris praecipue, debitam iuſto

x) P. III. Tit. I. Art. II.

Digitized by Google

iuſto tempore accipere pecuniam, quam alio mutuam. Vnde teſtatur, doctiſſimus eius iuris interpres DAVID MEVIVS[y] eum minus frequentari, ſeque deprehendiſſe ſaepius, a creditoribus ad intereſſe actum, et condemnationem ſubſequutam eſſe, non obſtante debitorum oblatione ſimilis beneficii, aut contradictione. Addit, quamuis in definiendo altero modo, lex de ſolo damno, loqui videatur, habere tamen lucrum ceſſans, aliquando damni rationem, veluti inter mercatores. Quod addit rectiſſime L. 2. §. fin. D. de eo quod certo loco. L. un. C. de Sent. quae pro eo quod intereſt profer.

XXIII.

Saxonia ſecunda legum mater, anteuertit, eam quam explicauimus communem imperii legem, vt ab ea, quod factum ſaepius, imperii comitia nouae legislationis cepiſſe videantur exemplum. Propoſuerat D. AVGVSTVS CIↃ IↃ LXXII in dubiis illis quaeſtionibus, principali conſtitutione decidendis, eam quoque[z], qua ratione id quod intereſt moram non fuiſſe factam, ſententia iudicis definiri oporteat, et annon mercatoribus eius nomine vſurae quincunces, ſimpliciter, ſint adiudicandae: prolatis autem contrariis iuriſconſultorum ſententiis, eam addiderat deciſionem: *Damit nun ſolches auch zur Gewisheit in unſern Landen gereiche, ſo haben wir ihnen auferlegen laſſen, forthin in unſern Hofgerichten, Juriſten-Facultaeten und Schoeppen-Stuhlen, zu ſprechen; daſs in allen Faellen und Perſohnen,* Kaufleuten *und andern ohne Unterſcheid, das Intereſſe ſelbſt, und zum wenigſten per circumſtantias vel conjecturas probiret und liquidiret, auch alsdann erſt, darauf moderation erkannt werden ſoll.* At quum ea deciſio, non minuendis

y) Comment. ad Ius Lub. P. III. Tit I. Art. II. n. 4. 8.

z) P. II. Conſt. XXX. Cod. Aug. Tom. I. p. 95.

Digitized by Google

nuendis et incidendis, ſed generandis potius litibus atque protrahendis ſeruiret, mature eam correxit, princeps optimus, edito, poſt comitia Torgauienſia, anno CIↃ IↃ LXXXIII. edicto, quod *das Torgauiſche Ausſchreiben* vocari ſolet, cuius Titulo *Vom Wucher, wucherlichen Contracten und Partiten, auch von nachgelaſſenen Zinſen, § als haben wir*, aequius meliusque edixit [a]: *Desgleichen da dieſelben Zinſen nicht verſchrieben, und es wollte ſich der Glaeubiger viel lieber mit fünfen begnügen laſſen, dann wegen ſeines Intereſſe eines andern Beweiſes anmaſſen, daſs man alsdann auch a tempore morae, fünfe aufs hundert, an ſtatt des Intereſſe denen Glaeubigern zuſprechen moege. Sonſten aber, da der Glaeubiger des Intereſſe halben, ſonderlich Beweiſs fürnehmen wollte, laſſen wir es bey unſerer jüngſten ausgegangenen Conſtitution diesfals bewenden.* Manifeſtum eſt, natam ex hac deciſione, communem imperii legem, propoſitam in comitiis deputatorum Wormatienſibus CIↃ IↃ LXXXVI, promulgatam poſt Spirenſia CIↃ IↃ C. Saxoniae aeque ac imperii iudicia petentibus ex mora id quod intereſt, permittunt, vtrum vſuris quincuncibus ſimpliciter contenti eſſe velint, an demonſtrato damno contracto et lucro ceſſante, iudicis expectare malint aeſtimationem. Nec ſolent in foro noſtro ſpernere mercatores, oblatum a lege praecidendarum ambagum beneficium. Vnum addo. Etiamſi recentioribus Saxonum legibus, in cambiis ſemiſſes permittantur vſurae, ex mora tamen actori, quamuis mercator fuerit, non adiudicantur niſi quincunces: adſcripta ea, vt dici ſolet, ratione decidendi: *Dieweil, was wegen des bey Wechſel-Briefen zu bedingen nachgelaſſenen ſeckſten Zinsthalers, in denen Rechten verſehen, auf das intereſſe morae nicht zu erſtrecken.*

XXIV.

a) Cod. Aug. Tom. I. p. 143. 144.

Digitized by Google

XXIV.

Quam, vti monuimus ſupra, contra iuris ciuilis regulam, interpretes iniecerunt dubitationem, vtrum a tempore traditionis mercium, an a tempore interpellationis, alioue termino, currant vſurae ex mora mercatori praeſtandae, vel incipiat, ex iuris Canonici formula, obligatio ad praeſtandum, id quod intereſt; eam legislatorum alii, fori diſceptationibus et iudicum arbitrio reliquerunt, alii rectius ſuſtulerunt. In prouinciis Boruſſicis, ex praeſcripto edicti die XX. Nouembris CIↃ IↃCC XII promulgati, vſurae ex mora in ſoluendo negotiatoribus tabernariis mercium pretio, deberi non incipiunt, niſi elapſo a tempore traditionis anno. Cuius legis aequitatem commendat mirifice illuſtris LEYSERVS [b]. Saxonia noſtra, certam totius controuerſiae nouiſſime accepit deciſionem, quae decima quinta eſt, in quadraginta illis anno CIↃIↃCCXXXXVI promulgatis. Adſcribam legis verba, plana illa et perſpicua, vt ne quidem interpretatione indigere videantur. *Das Intereſſe morae von rückſtaendigen Kaufgelde, vor empfangene Crahm- und andere Waaren, iſt, wenn zur Zahlung ein gewiſſer Termin geſetzet worden, von der Verfallzeit, auſſerdem aber nach Ablauf ſechs Monathe von dem Empfang der Waaren, oder wenn der Verkaeufer den Kaeufer deswegen eher belanget, von Zeit der erhobenen Klage anzurechnen.* Tres ſeparantur ſpecies. Primo, ſi certus ſolutioni dictus fuerit dies, quod accidit frequenter, et ſunt mercium genera, quae data emtori, trium, ſex, nouem, duodecim, vel octodecim menſium dilatione vendi ſolent, quas qui parata emit pecunia, detrahit medii temporis interuſurium. Si ea lege venditae fuerint merces, finito datae dilationis tempore, mora niſi ſoluatur incipit, et currunt debitae ex ea vſurae. Vt vero dilationis terminus probari poſſit, lite forſan mota, facilius, ſuaden-

 dum

b) Med. ad Pand. Spec. CCVI. med. VII. Vol. III. p. 631. 632.

Digitized by Google

dum eſt mercatoribus, vt rationibus quae codicibus mercatoriis rite inſeruntur, aeque ac illis quae emtoribus exhibentur, pactae ſolutionis diem, accurate inſcribi curent. Altera eſt ſpecies, ſi nullus ſolutioni dictus fuerit dies; manifeſta eſt legis voluntas, ſoluendum eſſe τo Intereſſe morae inde a lapſu, ſex ex die traditionis, menſium. Denique quum facta in iudicio interpellatio, eam ſemper habuerit vim, vt qui interpellatus ſoluere, ſine iuſta dilationis cauſa, ceſſat, moram facere intelligatur et ex ea vſuras debeat, addit legislator, ſi venditor, nulla dilatione pacta, antequam ſex menſes praeterierint, mercium emtori litem intendat, computandas actorique adiudicandas vſuras, ſeu potius τὸ intereſſe morae, ab actionis inſtitutae tempore. Actio autem inſtituta cenſetur, exhibito iudici et per citationem cum reo communicato libello [c].

XXV.

Inſcriptus eſt deciſioni quam explicauimus decimae quintae is titulus: *Von welcher Zeit an, und auf wie viel Iahre, das Intereſſe morae, von Kaufgelde, vor empfangene Crahm- und andere Waaren, gefordert werden koenne.* At eſt ſane perſpicuum, in ipſa deciſione, partem quaeſtionis poſteriorem, in quot annos debeatur, ſilentio praetermitti. Iure ciuili finiri vſuras ſi ſortem aequauerint L. 27. §. 1. C. de Vſur. Nou. CXXXVIII. immo cautum etiam, ne in iis caſibus, qui certam habent quantitatem vel naturam, veluti in venditionibus, hoc quod intereſt dupli quantitatem excedat, L. un. C. de Sentent. quae pro eo quod intereſt profer. expeditum eſt. At canonico iure petitionem eius quod intereſt, nullis coerceri finibus, ſupra vidimus, et ex eo fluxit τὸ Intereſſe morae, quod hodie peti ſolet. Eſt mihi in manibus, Deciſio Saxonica

c) Adi doctiſſimi CAROLI GODOFREDI WINCKLERI Diſcrimen inter Litis conteſtationem iure veteri atque hodierno. Cap. II. §. VIII. p. 67.

Digitized by Google

nica inedita ſeu deciſionis formula, qua argumenta continentur, quibus in dicaſteriis noſtris, hanc controuerſiam dirimi, experientia docet. Etſi igitur promulgatione vis publicae legis ei non fuerit tributa, non tamen erit inutile eam addere, quum praeſertim priorem, ex qua manauit deciſio XV proxime ſequatur, vt probabile fiat, de vtraque in vnam coagmentanda et conflanda fuiſſe cogitatum. Sunt vero illius verba haec: *Es vermag unſere vormahlige XXIX Deciſion, daſs die Zinſen wenn ſie dem Capital gleich ſind, nur in zweyen Faellen, wenn ſie nehmlich von Jahren zu Jahren abgetragen oder auch der Schuldner von dem Glaeubiger gerichtlich interpelliret worden, ferner fortlauſen. Ob ſolches alleine von dem mutuo zu verſtehen, oder auch auf den Kauff-Contract zu ziehen, iſt nicht unbillig biſs anhero gezweifelt worden, weil Innhalts allgemeiner Rechte, der Lauff der Zinſen in denen Judiciis bonæ fidei über das alterum tantum verbothen, dahero auch vormahls in denen Collegiis unſerer Lande denen Kaeuffern von rückſtaedigen Kauff und Erbe-Geldern, die Zinſen weiter nicht, alc biſs auf das alterum tantum zu zahlen, auferleget worden. Alldieweiln aber dieſe Zinſen, von Kauff-Geldern eigentlich keine Zinſen, ſondern ein billiges Intereſſe ſind, in Betrachtung der Kaeuffer das Pretium an ſtatt der erhandelten, und empfangenen Waaren abzuführen, ſich anheiſchig gemacht und alſo ſehr unbillig ſeyn würde, woſern er das verkauffte Guth, und davor ſchuldige Geld behalten, und bey dieſer Bewandniſs doppelten Nutzen genieſſen wollte, der Kaeuffer hingegen ſolche Fructus entrathen müſte; Als verordnen wir hiermit, daſs das Intereſſe von Kauff-Geldern auch ohne Unterſchied der Faelle da gleich ſelbiges particulariter nicht entrichtet, noch der Schuldner gerichtlich gemahnet worden, über das alterum tantum gegeben werden ſolle.*

Digitized by Google

XXVI.

Caeterum vt caveatur, ne vſurae ex mora in ſoluendo mercium pretio facta, in nimiam, debitoribus grauem, ipſisque creditoribus timendam excreſcant quantitatem, vtile forſan foret, mercatoribus neceſſitatem actionis intra breuius unius vel paucorum annorum ſpatium inſtituendae, imponere, propoſito praeſcriptionis periculo. Dedit eius rei exemplum egregium LVDOVICVS XIV [d], rex, ſi quis alius, legislatoribus imitandus.

d) ORDONNANCES DE LOUIS XIV. ſur le Commerce. Tit. I. Art. 7. 8. 9.

A011474129

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google